

C(unradus) dei gratia Misnensis ecclesie episcopus omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in Christo Iesu domino nostro. Quoniam ea, | que geruntur sub temporis articulo, ne nutent et vergant in oblivionem, solent dictis testium et scripti memoria perhennari, | noverit igitur tam presens hominum etas quam in Christo successura posteritas, quod dominus Rolandus de Vriberc ob reverentiam nominis Iesu Christi | remissionis quoque omnium peccatorum suorum et sue coniugis Hedewigis nunc defuncte intuitu mediante consensu omnium coheredum suorum allodium situm iuxta rivum, qui dicitur Lozniz, cum omnibus eius proventibus et in civitate Vribergensi singulis | annis VII talenta reddituum ecclesie sancte Marie in Cella necnon XLIII<sup>or</sup> marcas argenti et se ipsum ibidem in ede sibi ad hoc specialiter | deputata extremum vite sue diem exspectans obtulit, a conventu prefate ecclesie infra XVI annos VI marcas argenti singulis | annis recepturus, quibus finitis uno anno III<sup>or</sup> tantum. Insuper necessaria vite, panis videlicet et cervisia, et alia, sicut in infirmitorio | infirmorum memorate domus preparantur, singulis diebus cum dimidia stopa vini sibi suoque famulo amministrabuntur, ita tamen, | si in infirmitorio nulli condiantur cibi, necessaria supradicta famulo suo in ede prefata preparanda presentabuntur. Ceterum | si forte medio tempore se ad alium locum mansurum transferre voluerit, prenotata bona cum omnibus eius attinentiis, | quamdiu vixerit, fideiussoribus ad beneplacitum ipsius conventus positis, ut eo ad vocationem divinam decedente ad manus ecclesie illesa redeant, percipiat, reliqua vero si qua continet bona sue committentur voluntatis arbitrio distribuenda. | Verum ne quis in posterum avaricie sue saciare volens ingluviem manus violentas et sacrilegas in sepe dicta bona inicere | presumat, ea nostri presulatus auctoritate, presertim cum in nostre diocesis banno contineantur, sub interminatione anathe|mathis<sup>a)</sup> confirmamus et, ut in perpetuum sollempnis inconvulsa<sup>b)</sup> donationis iura permaneant, cum appensione sigilli burgensium de Vri|berc sigilli nostri munimine roboramus. Datum anno gratie M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>XLIII<sup>o</sup>, pontificatus nostri anno III<sup>o</sup>. Testes huius | rei sunt: Wernherus Magedeburgensis<sup>a)</sup> ecclesie canonicus, Heinricus miles de Nuzzin et Vlricus frater eiusdem, Theodericus de Mussowe, | Churadus<sup>a)</sup> de Smurdewiz, Heinricus et Hartlibus cognati supradicti Rulandi<sup>a)</sup>.

(SP.)

(SP.)

## 128.

***Bischof Konrad (I.) von Meißen stiftet einen Vergleich in dem Streit über einen Weinbergzehnten zwischen dem (Augustiner-Chorherren-)Stift St. Afra zu Meißen und dem (Zisterzienser-)Kloster Buch. Unter den Zeugen: Abt Eberhard von Altzelle.<sup>1)</sup>***

127. a) sic A.

b) inconvulsa von erster Hand mit derselben Tinte über der Zeile nachgetragen A.

128. 1) dominus Euerhardus abbas in Cella B.